

GUILELMI HENR. GRAUERTI

AD

MARCELLINI VITAM THUCYDIDIS OBSERVATIONES CRITICAE.

Qui auctor dicitur vitae Thucydidis Graecae plenioris, Marcellinus, qua fuerit aetate, patria, vita, etsi certis exputari non possit neque ratiocinationibus neque conjecturis: tamen rhetor certe fuit posterioribus imperii Romani saeculis, non mediocriter quidem imbutus antiquorum utriusque populi scriptorum lectione, neque contemnenda tinctus doctrina rhetorica, sed contorti homo ingenii et confusi, quo nativam, qua plane carebat, simplicitatem magniloquentiae et quae sitae cuiusdam elegantiae fuco compensare studebat, e labentium natura litterarum. Etenim quae de Thucydidis vita et scriptis ibi disputantur, non temere congesta sunt hinc illinc et pro arbitrio consarcinata, sed ex antiquioribus hausta fontibus, virisque praestantibus doctrina ac studio inquirendi accurato, et historiarum scriptoribus ipsis et eiusmodi hominibus eruditis, qui Alexandrinorum ex scholis philologiam duxerant. Inter quos Hermippus est et Polemo, haud exigua in historicis rebus auctoritate uterque, ut patebit inquirenti in eos locos quos concessit G. I. Vossius de H. Gr., de Hermippo I. 16. p. 103., de Polemone I. 18. p. 119. sqq., quibus, ut in toto opere praestantissimo permulta et supplenda sunt et corrigenda, addendi sunt de Polemone nostri scriptoris loci duo; praeterea Didymi scriptis et

Antylli usus est grammaticorum, qui commentarios scripserant de Thucydide. Deinde opera Hellanici, Herodoti, Xenophontis, Philisti, Theopompi, Timaei, aliorum, manu versaverat assidua. Temerarium est ergo nec ulla ratione comprobatum, si quis Marcellinum ut nullius fidei hominem despiciat, propterea quod parum pateat, quis ille fuerit, quando scripsert et quorum ad auctoritatem. Recte autem maioris hunc libellum operis partem esse ex eius initio viri docti ratiocinati sunt: ac manifestum est ex ipso indice: Μαρκελλίνον περὶ τοῦ Θουκυδίδον βίου καὶ τῆς ἰδέας αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὅλης ἔνγγραφῆς παρεκβολή. Quocum convenit quae in codice Palatino inscriptio est: Μαρκελλίνον ἐκ τῶν εἰς Θουκυδίδην σχολιών περὶ τοῦ βίου τοῦ Θουκυδίδον καὶ τῆς τοῦ λόγου ἰδέας: refert eam Poppo Vol. II. P. I. p. 25. Idem vero Marcellinus insignis est eo quod certa quaedam rhetorum placita, in scholis tradi solita, tenet anxie, ex iisque iudicia sua moderatur; quod doctus, philosophus, eleganti sermone excellens vult videri, eoque nomine nonnunquam egregie appetet ridiculus. Quod quidem imprimis ei accidit quum pallio indutus philosophico reconditae doctrinae sententias immiscet rerumque causas simulato acumine studet explicare, Thucydidem scilicet suum imitaturus. Quo factum est, ut certa quaedam indolis nota et quasi τύπος quidam in hac scriptiuncula expressus sit satis clare. Lege modo initium, quod tale est: Τὸν Δημοσθένονς μύστας γεγενημένους θείων λόγων τε καὶ ἀγώνων, συμβονλευτικῶν τε καὶ δικαιικῶν νοημάτων μεστοὺς γενομένους καὶ ἵκανῶς ἐμφορηθέντας, ὡρα λοιπὸν καὶ τῷ Θουκυδίδον τελετῶν ἐντὸς καταστῆναι. Ac praecipue formulas adamat quasdam, philosophico sermoni proprias: velut §. 21. ζητητέον δὲ, διὰ τί καὶ Λακεδαιμονίους παρεῖχε καὶ ἄλλοις, ἐξὸν Ἀθηναῖοις μόνοις διδόναι καὶ παρ' ἐκείνων μανθάνειν, καὶ λέγομεν ὅτι οὐκ ἀσκόπως καὶ τοῖς ἄλλοις παρεῖχε· σκοπὸς γὰρ ἦν

αὐτῷ τὴν ἀληθειαν τῶν πραγμάτων συγγράψαι, εἰκὸς δὲ
 ἦν Ἀθηναίοντς πρὸς τὸ χρήσιμον ἀπαγγέλλοντας τὸ ἑαυ-
 τῶν φεύδεσθαι, καὶ λέγειν πολλάκις, ὡς ἡμεῖς ἐνικήσαμεν,
 οὐ νικήσαντες διὸ πᾶσι παρεῖχεν, ἐκ τῆς τῶν πολλῶν συμ-
 φωνίας θηρώμενος τὴν τῆς ἀληθείας κατάληψιν. τὸ γὰρ
 ἀσαφές ἔξελέγχεται τῇ τῶν πολλῶν συναδούσῃ συμφωνίᾳ.
 Vides pusillum philosophum, qui quae sanus quisque ocu-
 lis perspicit nullo negotio, festivo ornatu ridicule compta
 tanquam miracula producit: nihil est enim tam ridicu-
 lum quam ineptus philosophus. Similia autem multa:
 §. 4. ἀλλ' οὐκ ἀν εἴποι τις, τί αὐτῷ πρὸς Θουκυδίδην;
 ἔστι γὰρ οὗτος τούτον συγγενῆς. Poetam agit §. 25.: ἐστρα-
 τήγησε δὲ ἀρχέκακον ἀρχὴν παραλαβόν. hominem elegan-
 tem §. 5. laudato Aeschyli fragmento tragicum spirante in
 re satis exili. Thucydidem rarsus §. 35.: ὁ γὰρ τοῖς ἀρί-
 στοις ἐπαινούμενος καὶ κεχριμένην δόξαν λαβὼν ἀνάγραπ-
 τον εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον κέκτηται τὴν τιμὴν, οὐ κινδυ-
 νεύονταν ἔξαλειφθῆναι τοῖς ἐπικρίνοντιν. rhetorem §. 57.s.,
 eum vero neque indoctum nec insipientem: non enim
 contemnenda monuit quaedam, velut illud de Herodoto δὲ
 δλίγων γὰρ ἐποίησε λόγων ὡς προστοποιίας μᾶλλον ἢ περ
 δημηγορίας, et illud quod Thucydidem τὸν ἐψηλὸν χαρα-
 κτῆρα φραστικὸν dicit ζηλῶσαι ὡς ὄντα τῷ μεγέθει πρέποντα
 τοῦ τοσούτον πολέμον, siquidem τὸ μέγεθος non solum
 gravitatem intelliges, sed universam belli naturam gran-
 diorem ac tristem; vellem tamen in eo constitisset, nec
 addidisset quod videt unusquisque qui priora legit: ὅν γὰρ
 αἱ πράξεις μεγάλαι, καὶ τὸν περὶ αὐτῶν ἔπειτε λόγον
 ἐοικέναι ταῖς πράξεσιν. In iis quae sequuntur rhetor ap-
 pareat eruditissimus scholarumque dogmatis apprime instruc-
 tus. Ac statim conspicis rursum τὸν παλλωπιζόμενον §. 40.:
 ἵνα δὲ μηδὲ τοὺς ὅλλονς ἀγνοῆς χαρακτῆρας, ἵσθι ὅτι...,
 ac τὸν ποιητισείοντα §. 43.: ὅτι δὲ οὐδὲ Ξενοφῶντός ἔστιν,
 ὁ χαρακτῆρι μόνον οὐχὶ βοᾷ. Praeclare vero mox philoso-

phatur, quum octavum librum a Thucydide paullum aegrotante conscriptum esse dixit, §. 44.: ἀσθενοῦντος δὲ σώματος βραχὺ τι καὶ ὁ λογισμός ἀτονώτερος εἶναι φιλεῖ· μικροῦ γάρ συμπάσχοντιν ἀλλήλοις ὁ τε λογισμὸς καὶ τὸ σῶμα. Quid autem? Cave decipiaris. Nuper partem horum ipsorum, quae perplacent, eam quae incipit a §. 55., Marcellino abiudicarunt, atque alii nescio cui donaverunt. Ego vero nulla opera a me impetro, ut haec non eiusdem esse hominis mihi persuadeam qui priora elaboravit: ὁ γὰρ χαρακτὴρ μόνον οὐχὶ βοᾶ. Atque iniquum est certe ac superciliosum, si quis rhetorem omnium elegantissimum, in quo exornata est acumine philosophico et ingenio poetico doctrina rhetorica, nude velit narrare quae paucula de auctoris vita cognosci possunt, neque addere suum de eius ingenio operumque praestantia iudicium, summi illud certe faciendum: quum praesertim idem nec iuniores paullo homines neglexerint, sed in omnibus eiusmodi vitarum libris ea soleat esse ratio, ut primum de auctoris vita, dein de operum eius virtutibus exponatur: quae eadem huius erit commentarii, si priores sectiones quadraginta quinque Marcellino permiseris. Neque vero ulterius progredi poteris. Nam quae sequuntur §. 45, ἀπέδωσε δὲ — ἐν τῇ Θράκῃ, repetitio inest eorum, quae §. 51 — 55, uberior disputata erant. Idem magis etiam insigne est in sequentibus ἵστεον δὲ ὅτι . . . (cf. §. 21. s.), in quibus adeo haec verba διὸ καὶ ἀπεχθάνεται τῷ Κλέωνι καὶ ὡς μεμηνότα αὐτὸν εἰςάγει πανταχοῦ pugnant cum illis quae §. 26. dicta sunt: ἔγραψε δ'οὐδὲ οὐτε μνησικῶν τοῖς Ἀθηναίοις (quod forsitan contra Dionysium monetur Halicarnassensem de Thuc. iud. p. 920., ad Pomp. epist. p. 774.), ἀλλὰ φιλαλήθης ὅν καὶ τὰ ήθη μέτριος, εἴ γε οὔτε Κλέων παρ' αὐτῷ οὔτε Βρασιδας ὁ τῆς συμφορᾶς αἴτιος ἀπέλανσε λοιδορίας, ὡς ἀν τοῦ συγγραφέως ὀρθίζομένον. Mox nova incipit de ingenio eius disputatio, postquam hic quoque de vita Thucydidis

dictum erat, eaque satis copiosa: et disseruntur similia prioribus; mentio sit Gorgiae Leontini, cuius in Thucydide imitationem Marcellinus ex Antyllo commemoraverat §. 36. Differt autem nimium quantum huius hominis dicendi ratio a fucosa Marcellini doctrina, ut vel sola suum prodat auctorem. — At, videsis, denuo ingreditur similis dissertatio §. 54. sqq., ac rursus primum de vita auctoris, tum de operis eius excellentia dicitur, congruenter maximam partem Marcellino, propriis tamen novisque quibusdam sententiis, nec iis omnino despiciendis; sermone hoc quoque magnopere diverso ac rhetorem significante doctum.

Quae quum ita sint, haud falso tres huius libelli partes distinguere videor, quarum prior tantum Marcellini sit, §. 1—44., reliquae duae aliorum hominum ignotorum, e Marcellino partim compositae, ut prooemia interpretando Thucydidi (quod de altera evincunt haec verba §. 52. *ἀνατὰ μέρος ἐπιδεῖν πειρασόμεθα*), postea vero in codice adscriptae antiquiori libello a docto quodam domino, propterea quod quaedam in iis nova inessent, ut in tertia aetate Thucydidis definitio, in altera quae de fabulis dicuntur, eaeque in unum denique confectae corpusculum: id quod in talibus scholiastarum scriptioribus saepe factum esse constat, neglecta quae adscripta fuerat vocula *ἄλλως*. Neque fugit hucusque accurate inspicientes, hunc libellum e diversorum auctorum reliquiis esse consarcinatum: sed vident primus vir doctus quidam, cuius non additum nomen est, in diario litterario Hagensi Tom. IV. p. 249., a Fabricio laudatus Bibl. Gr. Vol. II. p. 721., qui tamen secundae particulae initium constituit §. 46., quod fieri nequit, tertiae §. 50., quod ipsum perturbat iustum ordinem. Hoc tamen neque hodie capere me fateor, qui factum sit, ut Heilmannus, prudentissimus alioqui vir, in commentatione de Thucydidis ingenio ac dicendi genere, in qua multa ceterum egregie atque acute, nec nimia verborum abun-

dantia, disseruntur, p. X. (— LXVIII. ed. nov.) hunc nimum putet honorem haberi Marcellino, quod, quoniam repetantur bis ac ter eadem et secum pugnantia proferantur, inde diversos aliquis auctores velit statuere: quamvis enim Marcellinus, impeditae homo mentis fuerit, tali modo ineptit scriptor nullus, nedum rhetor eruditus. Popponis autem cur non sequar iudicium (Vol. I. P. I. p. 21.), ex iis quae disputavi appareat.

Iam vero, quem iure hoc nomine vocare licet, Marcellinus quum primarius nobis extet fons atque uberrimus, ex quo ea, quae de Thucydide sciri possunt, hauriantur: dolendum est certe, quod haecce commentatio non tantum ex quo primus eam edidit Aldus, lacunis corruptelisque depravata multis atque ingentibus in lucem prodiit, verum nec postquam Casauboni ingenium ac doctrina emendavit nonnulla, alia ex Suida supplevit, virorum doctorum quisquam dignatus est operam in ea ponere emendatricem. Quod quidem adeo verum est, ut, quanquam collato numerop etiam novo codice Palatino, ne antiquiorum quidem ope conjecturarum vitiis eam purgarint, sed depravata quam emendata exhibere maluerint. Quare quum ego, oblata forte tractandae eius paullo accuratius occasione, locos nonnullos emendatione haud improbabili restituuisse mihi viderer, atque de vita Thucydidis, nondum ea satis diligenter pertractata, quaedam observasse noviter: admodum acceptum fuit quod hoc loco exiles hasce copias explicandi data est potestas. Itaque lege et iudica.

In ipso opusculi initio Marcellinus postquam de Thucydide se esse dicturum enuntiavit, tanto eum interprete dignum esse his verbis eloquitur: πολὺς γὰρ ὁ ἀνὴρ τέχναις καὶ κάλλει λόγων καὶ ἀκριβείᾳ πραγμάτων καὶ στρατηγίᾳ καὶ συμβονλαῖς καὶ πανηγυρικαῖς ἐποθέσεσιν. Ubi quid, quaesito, hoc est πολὺς ὁ ἀνὴρ στρατηγίᾳ, excellit imperio? quasi vero haec scriptoris virtus esset: nec illud, opinor, spec-

tavit, quod Brasidas Thucydidi belli duci Amphiolin praeripiuit (Thuc. IV. 104.). Neque expeditur difficultas eo quod nuper ex Suida v. Θονκνδίδης et cod. Pal. vulgavit Poppe, στρατηγίαις, imo magis etiam impeditur. Et quales συμβονλαῖ? Sensit Casaubonus, qui συμβονλεντικαῖ proposuit: nec sufficit ad Suidam relegasse, qui aut ipse corruptus est in hoc quoque loco, aut corruptum exscripsit librum. Illud probarem, nisi στρατηγίαι offendarent. Emen-dandum censeo: πολὺς γὰρ ὁ ἀνὴρ — καὶ στρατηγικαῖ συμβονλαῖς (aut, si mavis cum Suida, συμβονλαῖς,) καὶ πανηγυρικαῖ ὑποθέσεσιν. Nempe intelligit rhetor tales imprimis orationes, quales sunt Archidami prior (I. 80. sqq.), Periclis prior (I. 140. sqq.), tertia (II. 60. sqq.), Niciae qua bellum Siculum dissuadet (II. 9. sqq.), Alcibiadis, qua suadet (II. 16. sqq.), Hermocratis prior (IV. 59. sqq.), altera (VI. 53. sqq.). Illustrat quid sibi voluerit ipse §. 42., quem locum quin Casaubonus respexerit nullus dubito: ἔξαιρέτως δὲ ἡ Θονκνδίδον [γραφὴ] ἐν τοῖς τρισὶν εἰδεσιν ὑποπίπτει, τῷ μὲν συμβονλεντικῷ, διὰ τῶν ὅλων δημηγοριῶν, πλὴν τῆς Πλαταιέων καὶ Θηβαίων ἐν τῇ τρίτῃ, τῷ δὲ πανηγυρικῷ διὰ τοῦ ἐπιταφίου κτλ. ubi vides etiam quae sint πανηγυρικαὶ ὑποθέσεις.

Quod sequitur inde a §. 5., Pherecydis fragmentum, non solum in fine vulnera laborat, eoque insanabili, ut videtur, propterea maxime quod Miltiadis Chersonesitae pater Cypselus quem in illa maiorum serie locum obtinuerit, non perspicitur, sed nomina etiam continet plura singularia, corrupta haud dubie aliquantum, ut Ὀλιος, Λέκης, Τύφων. Quae quomodo emendanda sint, suspicari quidem possis, scire non possis. Illud autem scio, formam nominis Ἐπιδυκος esse nullam, ac veram Ἐπιδυκος esse restituendam.

Lacunis depravata sunt cum aliæ huius libelli partes, tum vero imprimis ea quae sequitur inde a §. 13. Quarum

quum ex Suida quasdam expleret Casaubonus, etiam post verba ἀποφεύγει δὲ inseruit καὶ τὸντονς καὶ. Ac sane excidisse tale quid opus est. At vero pro eo quod statim habes στρατηγὸς, Aldina, Florentina, Basileensis exhibent κατηγορος, Palatinus codex κατηγορος: quae mira sane notionum esset confusio. Potius in prioribus excidit, puto, τοὺς κατηγόρους καὶ, unde adscripta serius vox κατηγόρους vera veram e legitima sede expulit ipsaque non legitimam occupavit.

Sequitur locus satis celeber §. 15. sqq., de patris Thucydidis nomine, qui talis legitur: παρέσχε δ' ἡμῖν τηνάλλως αὐτὸς ζῆτησιν, μηδεμίαν μηδέμην περὶ τοῦ γένους πεποιημένος. μὴ ἀγνοῶμεν δὲ τοῦτο, ὅτι "Ορολος ὁ πατὴρ αὐτῷ ἐστιν, τῆς μὲν πρώτης συλλαβῆς τὸ ρ ἔχοντης, τῆς δὲ δευτέρας τὸ λ. αὐτῇ γὰρ ἡ γραφὴ, ὡς καὶ Διδύμῳ δοκεῖ, ἡμάρτηται. ὅτι γὰρ Ὁρολός ἐστιν, ἡ στήλῃ δῆλοι ἡ ἐπὶ τοστάφου αὐτοῦ κειμένη, ἔνθα κεχάρακται Θουκυδίδης Ὁρόλον Ἀλιμούσιος ἐνθάδε κείται. πρὸς γὰρ ταῖς Μελιτίσι *) πόλαις καλονύμεναις ἐστὶν ἐν Κοίλῃ τὰ καλονύμενα Κιμώνια μηδίματα, ἔνθα δείκνυται Ἡροδότου καὶ Θουκυδίδον τάφος. εὐρίσκεται δῆλοντι τοῦ Μιλτιάδου γένους δύντος. ξένος γὰρ οὐδεὶς ἐκεῖ θάπτεται. Iam quum ceteri scriptores uno ore omnes patrem Thucydidis Ὄλορον nominent, "Ορολον nullus, eademque scriptura apud Thucydidem IV. 104. in omnibus exstet codicibus: lis exorta est inter viros doctos, eo quod columnae illi permultum tribuendum censebant, ita ut ipse G. I. Vossius Inst. Or. II. 15. 5., de Hist. Gr. I. 4., eumque secu-

*) Verissime sic emendavit Henr. Stephanus, simulque Casaubonus, e Pausania et nostrae vitae locis aliis, pro vulgato Μελιτίσι, quod nescio qua pertinacitate revocavit Poppo Vol. I. P. I. p. 318. Sed nimis hoc illud est, quod nostra aetate codicum lectioni vel corruptissimae inhaerere quam certis summarum virorum emendationibus vitia tollere malunt.

tus Fabricius Bibl. Gr. Tom. II. p. 722. ed. Harl., Marcellico ac Didymo, ut putabant, fidentes verum nomen crediderint esse Ὀρολον. Tu vero ipsa quae adscripti verba considera paullo accuratius. Quid enim significant illa αὐτη γὰρ η γραφη ἡμάρτηται? Verterunt quidem haec scriptura serius depravata est. At ἀμαρτάνειν apud Graecum hominem ullum esse depravare, nego confidenter. Ac pone, fieri posse, quod non potest: quam absurde ita loquetur: »pater eius Orolus fuit; haec enim scriptura postea depravata est.« Quorsum enim? et in quidnam depravata? — Igitur ἡμάρτηται nihil est nisi falsa est, genuina vocabuli significatione, ac Passivi Perfecti forma, ut πεποιημένος proxime: qui quidem Passivi pro Medio atque Activo usus apud scriptores notae vel optimae non est infrequens. Quodsi hoc verum est, perturbatum habes totum locum: »pater eius Orolus fuit: haec enim scriptura falsa est.« Haerentem te video. Sed supersunt quae augent angustias. Quid enim est, quod ipse Marcellinus, quamvis acriter hic Ὀρολον defendens, aliis locis quatuor cum ceteris patrocinatur Oloro: §. 2. Θουκυδίδης — Ὁλόρον μὲν προήλθε πατρὸς, τὴν ἐπωνυμίην ἔχοντος ἀπὸ Ὁλόρον τοῦ Θρακῶν βασιλέως. eundem Ὀλορον dicit §. 11., Thucydidis patrem rursus §. 28. Deinde mirandum esset certe, si Marcellinus, quoniam tanta diligentia Thucydidem perlegisset suum, memoriaque probe teneret, id quod perspicitur ex permultis quibus Thucydidea laudat locis, illius non meminisset loci, ubi se ipse scriptor vocat τὸν Ὁλόρον. Nihil enim intellexerunt qui verbis μηδεμίαν μνήμην περὶ τοῦ γένοντος πεποιημένος eum illius revera non meminisse volebant comprobare: haec enim ad eius cum Miltiadis gente consanguinitatem spectant. Ac tenuisse eum mente illa Thucydidis verba, sine ulla dubitatione demonstratur §. 23., ubi ex ipso scriptore eandem illam narrationem refert, ad quam ea pertinent. Denique etiam hoc

mirationem facit, quod idem epigramma, quo adversarios confutare vult Marcellinus, quem a duobus aliis biographis laudetur, Ὅλορον exhibet, non Ὅρολον, a tertiae particulae auctore ignoto §. 55., vel potius ab Antyllo grammatico doctissimo, cuius ipsa verba dari inde a καὶ στήλῃ δὲ ad ἐπιγράμματι, iniuria praetermissum est, atque ab alterius vitae scriptore anonymo §. 10. Quid igitur fiet? Emendandum est: et quidem, ut ego mihi persuasum habeo, hac ratione: μὴ ἀγνοῶμεν δὲ τούτο, δτι Ὅλορός οὐκ Ὅρολος δ πατήρ αὐτῷ ἐστι, τῆς μὲν πρώτης συλλαβῆς τὸ ρ ἔχοντης, τῆς δὲ δευτέρας τὸ λ. αὐτῇ γὰρ ἡ γραφὴ, ὃς καὶ Διδύμῳ δοκεῖ, ἡμάρτηται. δτι γὰρ Ὅλορός ἐστιν, ἡ στήλῃ δηλοῖ ἡ ἐπὶ τοῦ τάφου αὐτοῦ κειμένη, ἐνθα κεχάρακται Θουκυδίδης Ὅλόρον Ἀλιμούσιος ἐνθάδε κεῖται. πτλ. Sic omnia iusto procedunt ordine: ac manet quidem illud, quod nonnulli patrem Ὅρολον dixerant; illi vero, similitudine litterarum ad transponendum decepti, planissime refelluntur testimonio columnae, satis utique certo. Neque incusabis, opinor, audaciam quod et bis nomen Ὅρόλον in Ὅλόρον mutaverim, et Ὅλορος οὐκ verba inculcaverim, si quantis lacunis corruptelisque hic praecipue locus laceratus misere iaceat, reputaveris. Proxime post δοκεῖ οὖν τισιν aliquid deest; alias lacunas modo monstravi. Ac paullulum progrediens aliud in ulcus incidet: ut enim sana putem verba ἐνθα δείκνυται Ἡροδότον καὶ Θουκυδίδον τάφος, a me impetrabit nemo: neque enim adeo socordi animo fuit rhetor iste, ut, quum statim subiecturus esset ξένος γὰρ οὐδεὶς ἔκει θάπτεται, Herodotum ξένον fuisse non recordaretur: nec de Herodoti sepulcro Athenis exstructo quidquam notum est: certe nomen eius aut male sane inculcatum est aut ex ignotiore corruptum *). Ac facillime quidem Ὅλορος οὐκ per simile

*) Offenderunt quidem etiam in verbis εὐρέσκεται δηλονότε τοῦ

verbum proximum Ὀρολος intercidit: quod quam factum erat, scriba aliquis semiductus idem nomen quod corruptum opinabatur, bis corrigendum censebat. Namque tritum esse hunc librum a grammatico aliquo, manumque passum emendatuerintem, non solum multis scripturae discrepantiis patet, sed perspicitur evidentissime ex codice Palatino, qui verbis pro arbitrio transpositis ac singulari scribendi genere aliisque variis lectionibus in diversum a ceteris manopere abit.

Quod §. 18. ex Hermippo traditur, Thucydidem etiam cum Pisistratis affinitatis vinculo iunctum fuisse (id quod etiam scholiasta affirmat Thucydidis ad I. 20.), pro commento reiectum est, ut inde quidem orto quod Thucydi des Hipparchum tyrannum occisum esse ab Harmodio et Aristogitone bis negarit: quales quidem coniecturas facere more scholiastarum non ita est difficile. Praestat vero quum recte illud Hermippum tradidisse ac vere poterit evinci. Scribit autem ita Plutarchus Solone p. 83. D.: τὸν δὲ Σόλωνά φασιν ἀποδεῖξαι τοῖς δικασταῖς ὅτι Φίλαιος καὶ Εὐρυσάκης Αἰαντος νιὸν, Ἀθήνησι πολιτείας μεταλαβούντες, παρέδοσαν τὴν υῆσον αὐτοῖς, καὶ κατώκησαν ὁ μὲν ἐν Βραυρῶνι τῆς Ἀττικῆς, ὁ δὲ ἐν Μελίτῃ καὶ δῆμον ἐπώνυμον Φιλαίου τῶν Φιλαϊδῶν ἔχονσιν, ὅθεν ἡνὶ Πεισίστρατος. At Herodotus VI. 55.: ἐδυνάστενε καὶ Μιλτιάδης ὁ Κνψέλον, ἐών οἰκίης τεθριπποτρόφον, τὰ μὲν ἀνέκαθεν ἀπ' Αἰακοῦ τε καὶ Αἰγίνης γεγονὼς, τὰ δὲ νεώτερα Ἀθηναῖος,

Miltiádon γένους δύτως, ac pro δύτως legere ᾧ iubet Poppo: melius fortasse post δύτως addideris ᾧ, quippe quod facilimē exciderit propter litteras ως. Potest tamen talis quoque Participii ᾧ omissione commode ferri, structurae genere apud Graecos satis obvio, (ut apud Thucydidem, quem imitari studet noster, velut I. 10. πεποίηκε γὰρ κτλ.) ac Latinis satis frequentato, ut Nepoti Dionis: multorum annorum tyrannis magnorum opum putabatur.

Φιλαίον τοῦ Αἰαντος παιδὸς γενομένου πρώτον τῆς οἰκίης ταύτης Ἀθηναίον. Consentit omnino Pherecydes apud Marcell. §. 3., ubi tamen corruptum est nomen Φιλαῖας, quod corrigendum esse vidit Wesselius ad Herod. l. l. Quoniam autem Philaeus idem et in Pisistrati pago avus et in gente Miltiadis, adeo ut in pago Melite habitavisse dicatur apud Plutarchum et πρὸς ταῖς Μιλιτίσι τόλαις færint gentis Miltiadæ monumenta: iure aliquis coniciat affines hac ratione horum virorum excellentium fuisse familias. Attamen quum δῆμος dicantur Φιλαῖδαι apud Plutarchum atque alios quoque, unde in pagorum tabulam eos recepit Corsinius F. A. T. I. p. 246., nonnihil dubii restabat. Quod quidem tum demum remotum est, quum exponentem sibi me conjecturam meam Niebuhrius fecit certiorem, plures qui δῆμοι dicantur apud ipsos veteres, nomine in ἴδαι terminante, non fuisse δήμονς, sed gentes, atque eo permagnum pagorum minui numerum, eumque multo maiorem eo quem Clisthenes esse voluerit, centum constituens. Iam vero alia etiam expeditur difficultas. Tradit Pausanias I. 23.: Οἰνοβίου ἔργον ἐστὶν εἰς Θουκυδίδην τὸν Ὄλόρον χρηστόν ψήφισμα γὰρ ἐνίκησεν Οἰνόβιος κατελθεῖν ἐς Ἀθήνας Θουκυδίδην. Quid enim, quum exilibus post belli finem omnibus redditus datus sit (quod Xenophon quoque tradit Hellen. II. 2. 20., 23.), singulari opus erat plebiscito ad Thucydidem revocandum? Evidens hoc est, et recte intellexit Kruegerus quoque in Comment. crit. et hist. de Thuc. part. postr., adiectis ipsius editioni Historiographicorum Dionysii Hal., p. 248. Ac rectissime quidem eo ille explicat, quod Pisistradidam fuisse Thucydidem tradiderunt Hermippus et scholiasta Thucydidis, et apud Marcellinum §. 32. Zopyrus, Pilochoro et Demetrio Phalereo auctoribus, Athenienses scripsit redditum permisisse exilibus, et quidem μετὰ τὴν ἡτταν τὴν ἐν Σικελίᾳ (quae permutatio est cum clade ad Aegos flumen) πλὴν τῶν Πει-

σιστρατιδῶν. Hoc igitur nunc quidem coniunctis Plutarchi loco et Herodoti evidentius est multo, omnique, opinor, liberum dubitatione.

Doctores fuisse Thucydides Anaxagoram philosophum et Antiphontem rhetorem, Marcellinus tradit §. 22. De Antiphonte testantur qui vitam Antiphontis scripsit (Reiskii Orator. Att. VII. p. 605.), alter Thucydidis biographus anonymous, Suidas, Hermogenes. Pugnat autem manifesto Pseudo-Plutarchus *vit. X.* Rhetorum in Antiph. T. II. p. 852. E.: *Καικίλιος δὲ ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ συντάγματι Θουκυδίδον τοῦ συγγραφέως μαθητὴν τεκμαίρεται γεγονέναι, εἰς ὃν ἐπαινεῖται παρ' αὐτῷ δὲ Ἀντιφῶν* (VIII. 68.). Quod primum per temporum rationes fieri nequit: nam decem fere annis Antiphon Thucydidem aetate praecedebat, quum ipse natus sit Ol. LXXV. 1. vel 2., hic Ol. LXXVII. 2. Ac magis absurdum propterea est, quod Thucydides summo loco ortus ludimagisterio functus est nullo. Quapropter ut Caecilio ingentem hunc errorem tribuam cum Gottlebero, ad Plat. Menex. c. 3., non adducor: fuit enim Caeclius ille rhetor et philologus doctissimus, Dionysii Halicarnassensis familiaris, ac singularem librum scripserat de Antiphonte, ut a tali eum errore, quo rationes vitae illius universae perturbari deberent ac distorqueri, sibi cavisse satis certo possis affirmare. Quid quaeris? Docent ipsa Plutarchi verba, latere hic vitium: «*quoniam Thucydides Antiphontem laudat, Antiphon discipulus fuerit Thucydidis necesse est.*» Namque ut illud merito datur pietati, si quis ipse scriptis inclarescens magistros suos laudibus fert, seque sua illis debere profitetur: ita inauditum erit hoc, si quis e laudibus, quibus alter alterum extollit, hunc illius discipulum fuisse coniiciet. Iam vero angustiis illis chronologicis adductus Taylorus Lect. Lys. (v. Reisk. Orat. Gr. Vol. VI. p. 271.) διδάσκαλον legi iussit pro μαθητῇ, in Codicibus Vulcobii et Turnebi, quorum varias

lectiones Wechelianae editioni habes adiunctas, eam emendatam lectionem inveniri opinatus: idque ambabus amplexus est Petri van Spaan persona indutus Ruhnkenius, in Dissert. de Antiphonte (Reisk. Orat. Vol. VII. p. 805.). At vero illae scripturae discrepantiae, editionum margini olim adscriptae, incertum est admodum utrum revera ex codicibus excerptae sint, an ingenio debeantur virorum illorum doctissimorum, sive omnes sive ex parte. Sin autem revera ex codice aliquo illa lectionis varietas enotata est, mire nostram confirmat emendationem, qua apud Plutarchum pro μαθητὴν restituimus καθηγητὴν, vocabulo apud posteriores imprimis scriptores de doctore admodum usitato, ut καθηγεῖσθαι de docendi munere: quod quidem et in μαθητὴν corrumpi et usitatiore verbo διδάσκαλος in margine explicari commode poterat: illud fieri posse, evincit locus Aristidis Or. adv. Lept. §. 40., ubi Marcianus liber ἔξητον, verum ἔξηγητον Vaticanus. Photio autem quid sit faciendum, qui cod. CCCIX. p. 486. ed. Bekk. eandem lectionem exhibet, in medio relinquo: potest enim et ipse corruptus esse, potest ex corrupto codice hausisse, quod illa iam aetate accedit saepissime.

Quod nostro tempore facere solent qui scriptorem aliquem edunt antiquum, ut summis eum laudibus efferant, omnique ratione excellentem ostendant, atque quidquid opprobrii ab aliis coniectum in eum est, etiamsi non iniuste, ut ab eo amoveant summa ope enitantur: idem iam Marcellinum videmus instituisse, tum infra inde a §. 35. virtutes Thucydidis exponentem non sine facundia nec doctrina, tum §. 26. sqq. illud evincere conantem, eum non scripsisse iratum patriae propter ea quae ipsi acciderint incomoda, sed veritati studuisse, ac temperanti fuisse animo: qua in re aut contra Dionysium Hal., ut supra suspicatus sum, aut contra alium quem proeliatur. Quod ut magis extollat, ponit exempla aliorum scriptorum, qui

aut ira aut studio veritati minus consuluerint. In his commemorat etiam Philistum: Φίλιστος δὲ τῷ νέῳ Διονυσίῳ τοῖς λόγοις πολεμεῖ. Quod verum non est nulla ratione. Constat enim inter omnes, Philistum iuniori Dionysio maxime familiarem, in eo omne studium collocasse suum, ut calumnias ab illo amoveret atque ei quacunque posset ratione patrocinaretur. Eam vero controversiam ego sic existimo tolli optime posse, ut emendes: Φίλιστος δὲ τῷ νέῳ Διονυσίῳ τοῖς λόγοις συμπολεμεῖ. Syllaba συμ facile excidit scribae vel incuria vel in rariore vocabulo ignorantia. Saepissime enim in codd. praepositiones a librariis omissae reperiuntur: qua ex observatione Hermannus egregie restituit locum Aristophanis Nub. 1577.; cf. eund. ib. v. 985. Ex eodem autem usu frequenter dicuntur συμπαχεῖν, συναγωνίζεσθαι, similia.

Quae veterum scriptorum plerisque evenit mala sors, ut de vita eorum perpaucia sciamus nec ea satis certa, de ea Thucydides non est quod queratur. Plurima enim testimoniis fide dignis possunt firmari: controversia est in paucis. Quorum in numero praecipue referenda sunt quae scire cupias de mortis eius et tempore et loco. Ac fuit ea de re apud ipsos veteres dissensio: Marcellinus §. 51. sqq. quosdam refert credisse, Thucydidem in Thracia diem obisse supremam; Didymum vero ex Zopyri testimonio scribere, Athenis illum perisse morte violenta. Illos documentum inde asserre, quod corpus eius Athenis non sit humatum: hoc enim indicari ἵκριῳ in tumulo eius posito, ex more Atheniensium: τοῦ κενοταφίου δὲ τούτῳ γνώρισμα εἶναι ἐπιχώριον καὶ νόμιμον Ἀττικὸν τῶν ἐπὶ τοιαύτῃ δυστυχίᾳ τετέλευτηότων καὶ μὴ ἐν Ἀθήναις ταφέντων. Est autem quid sit ἵκριον primum explicandum: qua in remire hallucinati sunt viri docti, ut Petitus ad leges Atticas p. 562. Res ex duobus Eustathii locis plane potest confici. Is enim ad Od. i. 64. p. 1614. καὶ Ἀθηναῖοι δὲ,

inquit, κενοτάφιον ποιοῦντες τὸν ἐν Θαλάσσῃ ἀπολλυμένων πατέρεσσαν, φαστ., περὶ τὸν αἰλιατὸν, καὶ φωλοῦντες τρίτον αὐτῶν τὰ ὄνόματα, οὕτως ἀπεχθρονν. Idem alio loco ad Od. γ. 555. p. 1472. init. ἵκριον dicit nonnunquam significare idem quod *iστὸν*, malum. Quocum facit Hesychius v. Ἰκρία: καὶ τὰ ὅρθὰ ξύλα τὰ ἐπὶ τῆς πρέμυης καὶ πρέμυρας. ubi cf. quos laudat Albertius, scholiastam Homeri et Eustathium tertio loco. Genotaphium ergo eorum qui in mari perierant, malo insigniebatur, apte vero ac iuste: quod mox in omnes alibi quam domi mortuos translatum est. Quodsi usitatus ille Atheniensium mos erat, ac revera in Thucydidis tumulo malus conspiciebatur, sane non levi arguento se tuebantur illi qui eum Athenis interisse negabant. Obstinate vero repugnabant alii, eo usi documento, quod exules Athenas redisse diserte dicerent Philochorus et Demetrius. Atque hactenus quidem perspicitur utrorumque argumentatio. Quod vero sequitar, omnia perturbat: ἐγὼ δὲ Ζώπυρον ληρεῖν νομίζω, λέγοντα τούτον ἐν Θράκη τετελεντηκέναι, κανὸν ἀληθεύειν νομίζην Κράτιππος αὐτόν. Qui enim modo Thucydidem Athenis mortuum esse affirmavit, iam Thraciam ponit. Quapropter Poppo Vol. I. P. I. p. 51. pro Θράκη corrigen-dum Ἀττικὴ putavit. Atque sententiae quidem eo siet satis: quod quum negat Dahlmannus Quaest. histor. T. II. p. 216. not., totum locum non satis accurate pertractasse videtur. Verum autem, ut omittam, tum Ἀθήναις scripturum Marcellinum fuisse, ut supra, haec mira est emendandi via, ut nulla ipsorum verborum habita ratione, quod per sententiam requiritur, corrigas. Ac mihi quidem videtur, post verbum νομίζω excidisse οὐ: «ego vero ineptire puto Zopyrum, qui neget Thucydidem in Thracia obisse.» In causa fuit στ postremum verbi praecedentis. Neque ita inaudita est, quamvis videatur, omissio particulae negativae in codicibus tam Graecis quam Latinis, quod dubitanti in

quovis scriptore ostendent variae lectiones. Praeterea autem aliud est, in quo haereo. Quorsum enim haec: καν̄ ἀληθεύειν νομίζει Κράτιππος αὐτόν? Fait is aequalis Thucydidi, si vera prodidit Dionysius Hal. de Thuc. Iud. p. 847. Qua ergo ratione testari poterat, Zopyrum, qui multo post vixit (neque enim Zopyro Byzantio, qui Ptolemaei Philadelphi aetate vixit, antiquior notus est quisquam qui tale quid tradere potuerit: v. Voss. de Hist. Gr. III. p. 424. sq.), de Thucydide vera narrasse? Neque etiam vivos scriptores laudare antiqui solebant; nec iam tum temporis doctas de magnorum virorum vitis commentationes elaborabant, quales Alexandrinorum aetate. Quid ergo? An corruptum dicemus nomen Κράτιππος? an συνακμάσας apud Dionysium? aut contortam putabimus locutionem Marcellini ἀληθεύειν νομίζειν pro τὸ αὐτὸ λέγειν? an male eum cepisse Didymum, qui nihil nisi idem affirmasse Cratippum tradiderit? Non liquet: mittamus ergo. Iam quod ad quaestionem illam attinet ipsam, Plutarchus ab eorum parte stat, qui in Thracia obisse eum asseverabant. Sic enim Cimone p. 480. D.: καὶ τελευτῆσαι μὲν ἐν τῇ Σκαππῆ ὅλῃ (τοῦτο δ' ἔστι τῆς Θράκης χωρίου) λέγεται, φονευθεὶς ἐκεῖ μνῆμα δ' αὐτοῦ, τῶν λειψάνων εἰς τὴν Ἀττικὴν κομισθέντων, δείκνυνται παρὰ τὸν Ἐλπινίχης τῆς Κίμωνος ἀδελφῆς τάφον. Obscurius paullo Pausanias I. 23.: καίοι δολοφονθέντι, ὃς κατήι, μνῆμά ἔστιν οὐ πόρρω πυλῶν Μελιτίδων. sed dixeris tamen eum Athenis imperfectum cogitasse. At vero videntur sua ipsorum doctrina decepti esse qui hoc statuerent. Nam quod in eo omne ponunt rei pondus, ut Athenienses redditum exilibus permisisse finito bello demonstrent, Philochoro advocate et Demetrio (apud Marcell. I. 1.), id satis ostendit putasse eos, negare qui secus indicarent, Thucydidem unquam ab exilio esse revocatum. Quod tamen nihil urgebat ut facerent. Poterat enim ille redisse, mox autem, quoniam bona sua atque aurifodinas

in Thracia reliquerat, eamque diuturna commoratione posset habere patriam, eodem reversus esse ac per vim obisse. Dicit hic illud quoque, quod non Athenis eum interisse, quanquam diversis locis, alii quoque auctores duo memoriae prodiderant. Apollodorus enim apud Stephanum Byz. v. Παρπάγον eum Parparone Aeoliae urbe mortuum esse scripsit; Timaeus in Sicilia (Marcell. §. 53.): ex quibus falsum quidem maxime hoc est; at habitavisse per tempus in Sicilia Thucydidem, id quod idem tradiderat Timaeus (Marc. §. 26.), nec cum Marcellino nec cum viris doctis reiecerim: poterat enim illuc se contulisse dum exsul in Thracia habebat domicilium, visendae terrae causa memorabilis: poterat cupidine incendi Siciliae cognoscendae, tum maxime quum ea insula, antea quoque conspicua, recenti Atheniensium clade funestissima atque in omne reliquum notabili insignior multo erat facta, certe quae Thucydides ipse de bellis Siculis scripsit, summopere αὐτοψίαν significare videntur; atque credes facile, virtum tanta omnia accuratione perscrutantem non neglexisse illud praeceptum, a cunctis historiarum scriptoribus ipso antiquioribus observatum, nosse debere terras qui dicere de iis vere cupiat. Verum haec accipe, ut placet. Mihi autem illa disputanda erant ad substruendum quaestioni fundamentum ei, ad quam proprie tendebam. Quae quidem est de eo tempore quo Thucydides opus istud praeclarum elaboraverit: quacum alia coniungi debet, haec, qua ille aetate decesserit. Nimirum natus est Thucydides, e notissima Pamphilae computatione (apud Gell. N. A. XV. 25.), Ol. LXXVII. 2.: cui conveniunt, quod Eusebius florentem eius aetatem ponit ad Ol. LXXXVII. 5., quod Praxiphanes apud Marcellinum §. 29. aequales eius fuisse scribit Platonem comicum, Choerilum epicum, Agathonem tragicum, alia. Est autem pulsus in exilium anno belli octavo (Thuc. IV. 104. sq. coll. V. 26.), Ol. LXXXIX. 1.: atqui exul

fait per viginti annos (Th. V. 26.): rediit ergo Ol. XCIV. 1., exiguo post finitum bellum tempore, annos natus sexaginta septem ferme. Quae si certa sunt, ut videntur utique esse, quid fiet Marcellino, qui §. 54.: λέγεται δ' αὐτὸν—παύσασθαι τὸν βίον ὑπὲρ τὰ πεντήκοντα ἔτη? Quis enim sanae mentis eum, qui ultra annum sexagesimum septimum vitam extendit, plus quinquaginta annis natum obisse dicet? Neque tamen tanti est hoc testimonium, ut eo fretus reliquas computationes multo certiores contemnas, Kruegerum secutus ad Dionysii Hal. Histor. p. 91.: praesertim quum huius quidem narrationis qui auctor ei sit, prodat neminem, sed simplici λόγῳ tribuat. Hinc neque Dodwellum sequor, qui in Annal. Thucyd. vocabulum πεντήκοντα ex numeri octoginta signo π corruptum esse coniecit, eoque octoginta amplius annorum aetatem Thucydidi adiudicavit. Sed considera quae mirae ratiocinationes ex hac conjectura progenitae sint. Quoniam enim tredecim ad minimum annos finito bello superstitem fuisse Thucydidem putabant, ea adducti, relicta computatione multo probabiliore: aliis praeterea rationibus nonnullis indagatis post redditum demum elaborare opus suum coepisse statuerunt, quos inter Poppo quoque est Vol. I. P. I. p. 50. sqq. Qua quidem de re ego longe secus iudico. Cicero de Orat. II. 13.: «hos libros, inquit, tum scripsisse dicitur, quum a re publica remotus, atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exilium pulsus est.» Idem Plutarchus de Exil. p. 605. C.: καὶ γὰρ τοῖς παλαιοῖς, ὡς ζούκεν, αἱ Μοῦσαι τὰ κάλλιστα τῶν συνταγμάτων καὶ δοκιμάτατα φυγὴν λαβοῦσαι συνεργὸν ἐπετέλεσαν. Θουκυδῆς Ἀθηναῖος συνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων (quae ipsius Thucydidis verba sunt prima) ἐν Θράκῃ περὶ τὴν Σκαπτὴν ἥλην. Idem affirmat Marcellinus §. 25., qui famam adeo perceperat, sub platano Thucydidem scripsisse. Neque aliter, nisi si contorqueas, verba

ipsius Thucydidis possunt accipi Θουκυδίδης Ἀθηναῖος, ξυνέγραψε τὸν πόλεμον, — ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένον κ. τ. λ., quae non dixisset, si primis tantum lineis commentarios descripsisset. Iam vero finem belli commemorat ipse non uno loco, velut I. 15. ἐτη δὲ ἐστὶ μάλιστα τριακόσια ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολέμου ὅτε Ἀμεινοκλῆς Σαμίοις ἥλθε. V. 26. ἐτη δὲ ἐς τοῦτο τὰ ἔνταπτα ἐγένετο τῷ πολέμῳ ἐπτὰ καὶ εἴκοσι. paucisque verbis interiectis: ἀεὶ γὰρ ἔγωγε μέμνημαι, καὶ ἀρχομένον τοῦ πολέμου καὶ μέχρις οὗ ἐτελεύτησε, προφερόμενον ὑπὸ πολλῶν ὅτι τρίς ἐννέα ἐτη δέοι γενέσθαι αὐτὸν. ἐπεβίων δὲ διὰ παντὸς αὐτοῦ, αἰσθανόμενός τε τῇ ἡλικίᾳ καὶ προσέχων τὴν γνώμην, ὅπως ἀκριβές τι εἴσομαι. quae verba et ipsa virum indicant talem, qui per totum bellum non iuvenis quidem vixerit, sed tamen non debilitatus senectute: id quod apprime congruit cum ea quam secuti sumus temporum ratione. Atqui si necatus est Thucydides aliquanto post redditum suum, qua tandem ratione in primo adeo libro belli finem poterat commemorare? Statuendum ergo videtur, neque in Thracia eum historiam elaborasse sed nude tantum litteris consignasse quae singula compererit, brevissime ac sine ullo ornata, nec statim post redditum obisse. Verum enimvero cogita, quas in difficultates iam revolvaris. Non urgeam illud, Lucianum, qui in libello de longaevis cunctos enumerat et règes ducesque et philosophos, poetas, rhetores, historicos, grandæva senectute insignes, plane non ponere Thucydidem, quamvis hic nobilis scriptor sit maltoquo multis aliis, quos commemorat, nobilior: qui scrupulus idem de Herodoto potest moveri. Erit fortasse qui etiam hoc argumentum velit infringere, si contendam, non posse ulla ratione Thucydidis id opus senis putari septuagenarii vel octogenarii, cuius dudum evanuerint vires; quum tota dispositione atque enarratione, et præcipue orationum vigore summopere insigni, vir ostendatur egregia aetatis ingeniique florens

maturitate. Sed hoc, quaeso, perpende, quam fuisse absurdus putandus sit Thucydides, qui quum in ipso belli initio scribendum illud sibi proposuisset, id quod ipsum testari vidimus, atque huic operi totam vitam addixisset suam, rei excellentia maximopere captus, ut non ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν, sed κτῆμα ἐς ἀεὶ proponere voluerit, qui huius, inquam, operis perfectionem in incertum distulisset tempus, quadraginta belli initio annos natus. Quis enim belli finem certo ipsi praedixerat, quod diurnum fore persuadebant omnia? quis, non diurnius ter novem annis (V. 26.)? Num tam dementem fuisse opinaris, ut superstitem se illi fore crediderit sine dubitatione? Quid? quod nihil prorsus causae erat, cur finem belli exspectaret: cuncta potius ut statim accingeretur suadebant, sedes quieta, otium, ad exquirendam veritatem omnis generis facultates. — Intelligis haud dubie, standum esse in veterum testimoniis, qui in Thracia historiam eum elaborasse affirmant. Ac facile quidem ea indagabitur ratio, qua quomodo finem bellī ipso primo commemorare libro potuerit explicetur. Neque enim editi sunt ipso vivo Thucydide, quum non essent ad finem perducti, neque nunc sint, sed postea editi a Xenophonte: quod disertis verbis affirmat Diogenes L. II. 57. Poterat ergo scriptor supplere atque eliminare quaecunque videbatur, posteaque inserere quae postea facta erant. Neque id semel tantum evenit apud antiquos, sed in Aristotelis imprimis et Theophrasti libris conspicuum est, de quibus vera edocuit Niebuhrius.

Itaque si haec neminem movebunt, ut veterum testimoniis rejectis paulo post redditum interisse, scripsisse in Thracia Thucydidem neget: multo minus movebunt, quas praeterea attulerunt rationes duas: alteram, post mortem demum Archelai, quae Ol. accidit XCV. 1., Thucydidem inclarusse tradi a Praxiphane apud Marcellinum §. 30., al-

teram, quod mentionem fecerit (III. 116.) eruptionis Aetnae ignium tertiae, quae fuerit C^l. XCVI. Quas levi negotio evertam. Mittam enim, non idoneum auctorem esse Praxiphanem rei contra multos alios testes statuendae, quippe hominem prorsus ignotum. Aio autem primum, corruptum esse hunc locum, ac nomen Archelai regis, cui nunquam cum Thucydide negotii fuerat aliquantillum, ut gloriā eius nec tollere posset nec deprimere, ad superiora pertinere, ubi de aequalibus Thucydidis dicitur, quaqua ratione. Deinde, si depravata esse haec verba negaveris, ipsa te conficient: nam nequeunt certe intelligi de viro ipso, sed debent de eius opere, in quo solo gloria eius vertebatur: quod quum non editum sit ante ipsius mortem, necesse est decesserit aliquanto ante Olympiadē eam ipsam nonagesimam quintam. De tertio argumento, quo permotus, ut videtur, etiam Dahlmannus Thucydidem septuaginta quinque ad minimum annorum attigisse statuit aetatem Quaest. histor. T. II. p. 217., sufficiet ad Dorvillium provocasse, qui τὸ πρότερον ἡεῦμα, hoc est e tribus alterum, accidisse docuit Ol. LXXV. 4., tertium Ol. LXXX. 2., Siculis p. 241.: cui addas Heynium Exc. X. ad Virg. Aen. III.

Relictis tandem his quaestionibus progrediens ulterius in verba offendō nonnulla, quae me aliquantum torserunt, §. 35.: ζηλωτὴς δὲ γέγονεν ὁ Θουκυδίδης —, ἀσαφῶς δὲ λέγων ἀνὴρ ἐπίτηδες, ἵνα μὴ πᾶσιν εἰη βατός κτλ. Quanquam enim illud λέγων potest ad γέγονεν referri, male tamen habet coniunctio haec duorum membrorum dissimilium, additumque nomen ἀνήρ. Corrigendum puto ἀσαφῶς δὲ λέγειν ἀνὴρ (sive ὁ ἀνὴρ) ἐπιτηδεύει κτλ. Ceterum quae sequuntur verba ἵνα μὴ πᾶσιν εἰη βατός, sumta esse nemo vidit ex epigrammate in Thucydidem (Anal. Brunck. T. III. p. 265.), cuius hexametri alterius initium hoc est: εἰμὶ γὰρ οὐ πάντεσσι βατός.

In laudibus ingenii Thucydidis, quod praeципue in ora-

tionibus cernatur, haec verba leguntar §. 38. : . . . μόνος δ ὁ συγγραφεὺς ἔξενρέ τε δημηγορίας καὶ τελείως ἐποίησε μετὰ κεφαλαιῶν καὶ διαιρέσεως, ώστε καὶ στάσει ὑποπίπτειν ὅπερ ἔστι λόγων τελείων εἰκὼν. Ad quem locum Poppo p. 329.: »Interpretantur, inquit, ut ad certum causae statum revocari possint.« Scilicet non satis intellexisse videtur quid sit στάσις. Est autem vere status causae, locutione rhetorica, hoc est id quod ex prima conlictione nascitur, genus quaestioonis, ut interpretatur Quintilianus I. O. III. 6., qui locus ea de re classicus est; paullo diverse Cicero Top. 15.; cf. Hermogenem περὶ στάσεων; argum. ad Demosth. Leptin. p. 2. Wolf. et ad Aeschinoris Or. in Ctesiph. At ὑποπίπτειν est revocari posse ad aliquid, prorsus ut Germanicum: sic ipse noster §. 42.: ἔξαιρέτως δὲ ή Θουκυδίδον ἐν τοῖς τρισὶν εἰδεσιν ὑποπίπτει. iterum §. 41. οὐχ ὑποπίπτει μέτρῳ τινὶ. Iam vero non sana sunt verba μετὰ κεφαλαιῶν καὶ διαιρέσεως: nam τὰ κεφαλαῖα sunt διαιρεσίς, et διαιρεσίς fit κεφαλαιοῖς: ut infra §. 41. λέγομεν ὅτι ἀλλ' ή συγγραφὴ κεφαλαιοῖς διαιρεῖται καὶ ἐπὶ εἶδος ἀνάγεται ῥῆτορικῆς. Atque inspicere modo rhetores Graecos, velut Hermogenem, in hac re tota. Quare aut delendum est verbum καὶ, aut, quod magis probo, transponendum est ita: ἔξενρέ τε δημηγορίας καὶ τελείως ἐποίησε καὶ μετὰ κεφαλαιῶν διαιρέσεως. Iam haec bene habent. At non bene, quae subsequuntur: ὅπερ ἔστι λόγων τελείων εἰκὼν. Nam quod ad certum quaestioonis genus orationes possunt revocari, id earum non imago est, sed virtus. Accedit, quod ἡπερ ἔστι λόγων τελείων εἰκὼν dicendum erat, non ὅπερ. Quapropter ego sic prorsus existimo, emendandum esse: ὅπερ ἔστι λόγων τελείων οἰκεῖον.

Vindicat auctori suo Marcellinus librum octavum, idque rectissime; fatetur tamen non similem eum esse ceteris. Quod excusat his verbis (§. 44): ἐνθεν καὶ λέγομεν ὃς ἀσθενέστερον πέφρασται καὶ δλίγον καθότι ἀρρώστων

αὐτὴν φαίνεται συντεθεικός. Ubi et καὶ et ὀλίγον molesta sunt. Senserunt difficultatem editores: e quibus Bekkerus ὀλίγον coniecit: Optime si structura expediretur. Corrigendum est: ἀσθενέστερον πέφρασται κατ' ὀλίγον, καθότι οὐδὲ. » scriptus est languidius paullo, inde quod debiliorem eum composuisse apparet.« Dictum est κατ' ὀλίγον ut κατὰ βραχὺ Platoni Tim. p. 27. πάντες δοσὶ καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετέχοντιν — θεὸν ἀεὶ πον καλοῦσιν, κατὰ μηδὲν eidem Sophist. p. 241. Similiter cum substantivo saepe κατὰ praepositionem coniungunt adverbii notione cum alii, tum vero imprimis Thucydides, quem solet noster imitari, ut κατὰ τάχος, aliaque permulta.

Hactenus quae ad Marcellinum adnotanda habebam ipsum. Restant quaedam ad spurias libelli partes observanda: quae quidem paucioribus expediam.

Τὸ δὲ τῶν ἀλλων ἔξ ἐτῶν, traditur §. 45., πράγματα ἀναπληροῦ ὃ τε Θεόπομπος καὶ ὁ Ξενοφῶν, οἵσι συνάπτει τὴν Ἑλληνικὴν ἱστορίαν. Ubi quidem ἡ Ἑλληνικὴ ἱστορία et ἂ idem sunt subiectum; atque omnino structura non placet. Cui nisi novam explicationem adhibueris atque speciem rei omnino immutantem, legendum dixerim δος συνάπτει. Similiter leve vitium, sed tamen vitium, subest in his verbis §. 46.: καὶ ἀπειθῶν, ὡς φησιν, ἐν τῇ Θράκῃ, τὸ κάλλος ἐκεῖ τῆς συγγραφῆς συνέθηκεν. Quod Thucydides ipse non dicit usquam, non magis quam quae sequuntur. Corrige ergo ὡς φασιν.

Missa quae §. 48. est lacuna in verbis καὶ γὰρ ὄνομασεν, in quibus sententia facile suppleri potest ex ipso scriptore, verba non possunt, ad locum devenio vicinum, ipsum quoque corruptum, §. 49. Namque auctor quem Thucydidem fabulas solum ad explicandam veritatem inserere docuit, duobus exemplis aliis hoc adiungit: καὶ ὁ Ἀλκμαῖον ὅτε σωφρονεῖν μνημονεύεται, ἐνθα τὰ τῆς σωφροσύνης αὐτοῦ νήσους ποιεῖ. Quae et structura carent et sensu. Locus

Thucydidis est II. 102., nota fabula: δὸς ἀπορῶν, ὃς φασι, μόλις κατενόησε τὴν πρόξεωσιν ταύτην τοῦ Ἀχέλφου, — καὶ κατοικισθεὶς ἐς τοὺς περὶ Οἰνιάδας τόπους ἐδυνάστευσε κ. τ. λ. Ad sensum ergo recte Casaubonus supplevit ita: Καὶ ὁ Ἀλκμαίων δὲ ὁ Ἀμφιάρεω μνημονεύεται, ἐνθα τὰ περὶ τὸν Ἀχελφὸν καὶ τὰς πρὸ αὐτοῦ νήσους ἴστορεῖ. Sed recipere in textum non debebat Henr. Stephanus, in editione secunda. Ac si eo quod sanus redditus est Alcmaeo, insulae non solum incultae essent, sed etiam factae, stare posse putarem posterius sententiae membrum, contortius quidem illud paullo, sed quod tamen sensu non careret. Nunc ita restituendum hunc locum censeo: καὶ ὁ Ἀλκμαίων ὅτι (ut ὅτε positum sit pro ὅτι, tempore significato loco rei ipsius simpliciter) ἐσωφρόνει, μνημονεύεται ἐνθα τὰ τῆς σωφροσύνης αὐτοῦ νήσους ποιεῖ οἰκητὰς, vel, si mavis, νήσους οἰκίζει.

Quod verissime scriptor iste in Thucydide extollit §. 51., in designandis hominum ingeniosis ac moribus praecipuam eius vim cerni ac virtutem, exemplis hoc modo collustrat: Ὁφει γοῦν παρ' αὐτῷ φρόνημα Περικλέονς, καὶ Κλέωνος οὐκ οἴδ' ὅτι ἀν εἴποι τις, Ἀλκιβιάδον νεότητα, Θεμιστοκλέοντα πάντα, Νικίον χρηστότητα, δεισιδαιμονίαν, εὐτυχίαν μεχρὶ Σικελίας, καὶ ἄλλα μυρία. In quibus duo sunt, quae animum meum acriter offendunt, Θεμιστοκλέονς πάντα et Νικίον εὐτυχία: neque enim πάντα seu omnia quisquam sic vocavit virtutes omnes ac vicia, neque εὐτυχία affectio est animi, quam orationibus exprimere possit scriptor vel maxime egregius. Itaque, quanquam de priore illo certo pronuntiare lubricum possit videri, sic tamen emendari optime arbitror, ut scribatur Ὁφει γοῦν παρ' αὐτῷ φρόνημα Περικλέονς καὶ Κλέωνος οὐκ οἴδ' ὅτι ἀν εἴποι τις, Ἀλκιβιάδον νεότητα, Θεμιστοκλέοντα παρονογίαν (eam vero non nimis malevolo accipiendam sensu, ut saepenumero) Νικίον χρηστότητα, δεισιδαιμονίαν, εὐψυχίαν μεχρὶ Σικελίας, καὶ ἄλλα μυρία.